in alios usi sumus apertum est. si nos semper aut diu in malis fuisse osten
demus. si nostrum fatum aut fortunam conqueremur. si animum nostrum fortem
patientem incommodorum ostendemus futurum. Commiserationem brevem
esse oportet. nihil enim lacrima citius arescit. Fere locos obscu
rissimos totius artificii tractavimus in hoc libro. quapropter huic
volumini modus hic sit. Reliquas preceptiones quo adiudica
bitur in tercium librum transferemus. hec si ut conquisite conscripsi
mus. ita diligenter persecutus fueris. et nos industrie fructus ex
tua conscientia capiemus. et tute nostram diligentiam laudabis. tu
aque preceptione letabere. tu scientior eris preceptorum artificio.
nos vero alacriores ad periculum persolvendum. Verum hec futura satis
scio. te enim non ignoro. Nos deinceps ad cetera precepta transea
mus. ut quod libentissime facimus. tue voluntati rectissime morem
geramus. Incipit liber TERCIUS

A domne iudicialem causam quemadmodum conveniret. inventionem
rerum accommodari. satis abundanter arbitror superioribus libris
demonstratum. Nunc earum rationem rerum inveniendarum que
pertinebant ad causas deliberativas et demonstrativas in hunc
librum transtulimus. ut omnis inveniendi prescriptio tibi quam primum (vel plurimum)
persolveretur. Reliquae IIII partes erant artificii. De tribus
partibus in hoc libro dictum est. dispositione. pronuntiatione. me
moria. De elocutione quia plura dicenda videbantur. in quar
to libro scribere maluimus. quem ut arbitror tibi librum celeriter
absolutum mittemus. ne quid tibi rethorice artis deesse possit. Interea
prima queque et nobiscum voles. et interdum sine nobis legendo con
sequere. ne quid impediare. quin ad hanc utilitatem pariter
nobiscum progredi possis. Nunc tu fac attentum te prebeas. nos profi
cisci ad instituta pergemus.

D eliberationes partim sunt eiusmodi. ut queratur utrum potius faciendum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
ZENTRALBIBLIOTHEK ZÜRICH
KANTONS-, STADT- UND UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Zentralbibliothek Zürich
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/zbz_msc132/0146